

pore naturali dicuntur, & cum eo in sensu disjuncto reciprocantur, ut motus & quies.

III. *Intrinsicæ* sunt, quæ corpori naturali inhærent, ut motus & quies: *Extrinsicæ* sunt, quæ corpori naturali adhærent, ut locus & tempus.

§. 1. Quàm fundatissimam esse divisionem hanc Affectionum corporis naturalis in naturâ, nemini istam accuratius spectanti ignotum esse potest. Quia enim affectiones quædam ita se habent, ut simpliciter & absq; ullâ disjunctione de quovis corpore naturali dicantur, Sic omne corpus naturale est quantum, est quale, est in loco, est in tempore: Quædam verò non simpliciter & absq; disjunctione de omni corpore naturali dicuntur, sed pro copulativâ disjunctivâ habent, Sic non dicendum, omne corpus naturale habet motum, omne corpus naturale habet quietem, cum dentur, quæ motu careant, dentur etiam quæ dulci careant quiete, sed, omne corpus naturale vel motum habet vel quietem, quemadmodum terra non movetur, & Sol omnisq; siderum exercitus non quiescit, optimè hinc statuuntur affectiones aliæ unitæ, aliæ disjunctæ. Quia etiam affectiones quædam ita se habent, ut sint in corpore naturali, ceu quantitas, qualitas &c. Quædam verò, ut sint extra corpus, ceu locus, tempus; tutò hinc asferuntur etiam affectiones aliæ intrinsicæ, aliæ extrinsicæ.

§. 2. Cæterum quemadmodum in Metaphysicis unitæ affectiones sunt, quæ simpliciter de omni ente dicuntur, vel, quæ solitariè & sine oppositi illatione ens adæquatè exhauriunt, ut cum dico, omne ens est unum, verum, bonum; Disjunctæ, quæ non simpliciter sed cum disjunctione de omni ente dicuntur, vel quæ conjunctim & cum illatione oppositi, ut cum dico, omne ens aut est principium aut principiatum, causa aut causatum &c. Ita etiam se res habet in physicis, ubi

unitæ